





52915/P Beni olives  
25

DE VITA  
ANTONII MANZONII  
CHIRURGI PHILOLOGI  
*COMMENTARIOLUM.*



VERONAE

EX LIBRARIA OFFICINA LIBANTIANA

MDCCCXLV.



Digitized by the Internet Archive  
in 2018 with funding from  
<sup>34844</sup>  
Wellcome Library

<https://archive.org/details/b30369691>

*Aloysio Marzonio*

**VIRO OPTIMO,**

**ET CHIRURGO PRAESTANTISSIMO**

**S. P.**

*Cuinam hoc commentariolum melius commendem, quam tibi, ALOYSI, ad quem unice pertinere sciam? Id ipsum nisi facerem, tua me surripuisse judicarem: in hoc enim parentis tui, qui Veronae in primis eluxit, vera exprimitur imago, et quanto mehercule latini sermonis lepore! Opus ab Antonio Cesaro exaratum muneri nuper mihi dedit,*

*qui in meis familiarissimis tibi plurimum  
debet, quum uxor is gravi diu morbo confli-  
ctatae carissima adhuc per te fruatur con-  
suetudine.*

*Libenti igitur animo tuum accipito ;  
quod tamen ad te, quaeso, sic perveniat, uti  
Carolo fratri mihi dulcissimo usui futurum  
sit: in publicum enim prodit, dum ipse Hip-  
pocratica fronde redimitus domum regredi-  
tur. Faxit Deus, uti mira patris, tuique me-  
rita suspiciens imitetur , eamque gloriae  
virtutisque laudem contingat, quae in civita-  
te nostra nunquam desiderata est. Da operam  
ut valeas, meique memoriam serves.*

ALOYSIUS BENCIOLINIUS



**A**NTONIUS MANZONIUS, honestis parentibus Carolo Manzonio et Bona Ragazzonia Veronae natus est anno MDCCXLV. Ingenio fuit peracri, ut ad studia et literas natus videretur. Chirurgiam tamen adamavit, cuius habuit magistrum Antonium Monterossium aetatis suae principem, cuius in disciplina quantum profecerit indicio sunt cum illius scripta, tum quae de eo percrebuit apud nostros atque exteris opinio. Nec vero id unius magistri doctrina atque institutione, imo sua diligentia, in pervolutandis libris assiduate, et mentis acumine est consecutus. Quo factum est, ut nihil gravius unquam accideret vel periculosius, in quo non se homines ejusdem sapientiae et judicio committerent, deque rebus hujusmodi fere ab omnibus consulteretur, sed et spectatissimi illius artis professores illius judicium exposcerent et plurimi facerent. Neque eo se se efferebat MANZONIUS,

nec celebritatis aucupandae augendaeve gratia ( quod plerique solent ), aliorum dicta et sententias aspernabatur: nihil enim eo moderatius , nihil justius. quamvis medicos vel chirurgos artis suae ignaros , qui fabulas venderent, acrius insectabatur, quod judicaret, id (cum sine gravissimo corporum detimento atque artis contemptu fieri non posset ) non esse tolerandum.

In obstetricia fuit praecipuus, eamque plures annos in municipali nosocomio publice docuit; tantaque erat ejus de peritia et scientia apud omnes opinio, ut nulla esset vel utero vel partu laborans femina, quae non illius manum opperiretur: fuerunt autem quamplurimae, quae ejus opera a praesenti vitae discrimine eruptae, eidem vitam ipsae suam atque natorum acceptam referrent. Qua in re memoria dignissimum judico, MANZONIUM non nobilibus et praecipuis feminis tantum, nec vero item humilibus et pauperibus praesto esse consueuisse, cum contra omnibus quae periclitarentur aequa operam, etiam gratuito, praestare solitum: quod sibi vel animi sui humanitas vel religio sancte servandum admoneret.

Cum diuturnis commentationibus atque usu, incidensque cadaveribus, locupletissimam sibi rerum,

quae ad artem suam pertinerent, supellectilem comparasset, non sibi uni, vel iis tantummodo quos curandos suscepisset constare fructum voluit, sed quam plurimis fieri posset, editis de hac re libris: et primum libello latine conscripto, quem *Observationes pathologicas* nuncupavit, anno MDCCXCV, quem duodecim capitibus distribuit. In primo agit de *mejendi vitiis*, in quo notatu dignum arbitror, quod ille vetus cujusdam feminae commentum (sive illa levitate animi vel fraude, sive alia re confinxerit), praestantissimi medici etiam praepropera auctoritate comprobatum dissolvit ac plane evertit: nempe ille affirmabat annos se XXXIII numquam minxisse, sed lotium vomitu effundere solitum. In secundo *diaspasin* (quam graece vocant) vertebrarum colli attingit atque explicat: quod quidem peritissimos hujus artis, atque adeo ipsum Morgagnium fugerat. In reliquis (ne singula persequar) *de idrocele*, *de cephaleis*, *de siphilide*, de cancri caesione, de laesione vocis, deque aliis morbis obsoletis acute, dilucide atque erudite disserit. Alterum librum, anno MDCCIX, latine item vulgavit hoc titulo, *Antonii Manzonii Veron. Observationum pathologicarum liber alter*; in quo pluriū morborum, atque anatomicarum sectionum

historias ab se collectas explanat. In his praecipua esse debet historia femoris ab interiori vitio in duas partes fessi, absque tumore vel carie. In hoc vitio plane novo ac mirabili investigando, omnes ANTONIUS intendit mentis suaे vires; causas scrutatur et de promptis de penu suo rationibus disputat luculentissime; si quid vero proximum conjectura assequi possit; ejusdemque ossis aere sculptam figuram in libri calcem rejicit. Alia addit scitu dignissima et belle pertractata; nempe de testium, de intestini coli et spinae dorsalis cancro, item de ossium fractura, de venenis, de tubae Phaloppianaæ graviditate.

Edidit quoque commentarium hoc titulo, *Alcune pratiche considerazioni sull' inchiodamento della testa del feto nella pelvi, e sull' uso della forcipe.* quod certe in doctrina et dilucida disscrendi ratione, utilitate atque usu ceteris ab se vulgatis observationibus longe praestat. Enumerat primum quos vel structura vel experientia aliis educendo fetui aptiores judicat, multorum forcipes; Levreti, Bodeloquii, Osiandri, Assalinii, Thenariy, Brunningo-sennii, quorum postremi usum sibi, in quadraginta fetibus ab se extractis, longe melius cessisse asserit. Porro rationem usurpandi tractandique forcipis ac-

curate digerit atque exponit: praeterea monet quo loco, tempore rerumque statu adhibendus sit; et quomodo impedimenta quae solent vel possunt accidere, superanda sint vel occupanda. Nec minorem attulisse utilitatem videtur MANZONIUS alio commentario, quem sic inscripsit; *Considerazioni sugli aneurismi. Storia e guarigione d'un aneurisma venereo.* ex quo judicari facile potest, quantum ad tuendam vel restituendam corporum valetudinem faciat accurate organicarum affectionum notitia atque exploratus incidendorum cadaverum usus. Denique de uteri cancro: tetrorimo et misero morbi genere: parum et imperfecte ab antiquis disputatum est. in hoc igitur MANZONIUS penitus explorando totus fuit. Primum de loco, situ et constitutione cancri, ac de falsis deque veris ejusdem signis et indiciis, deque illius causis accurate disputat: inter quas ponit praecipuam et certam suppressam insensibilem, quam ajunt, expirationem, praesertim ob nudatum pectus et scapulas (quod pessimo hujus temporis more nostris feminis in deliciis esse solet). Alias addit causas, quas honestatis et pudoris causa silentio obruere satius duco. Tandem venit ad remedia cancri, multaque ac vana a pluribus, atque adeo ab se ipso adhibita recenset:

nec vero non fatetur, omnia incassum usque adhuc. Ex quo colligit, nihil medicis esse reliqui in hoc morbo, quam ut lenimentis aut alia re, mitiorem vel tolerabiliorem efficiant. nonnulla proponit ejusmodi experimenta: id vero in primis, ut ab irritamentis, quae cum pudori, tum valetudini nocent, abstineant. Quoniam vero ab quodam artis hujus magistro constitutum fuerat, posse resecari cancrum; et multa hujus sectionis quae sibi egregie successissent, exempla afferebat; MANZONIUS rem primum vocat in dubium; deinde, qua erat sapientia et experientiarum copia instructus, negat id fieri potuisse, vel certe non veros fuisse cancros, de quibus ille tam nova miracula praedicaret.

Hasce MANZONII commentationes summo exceperunt plausu maximisque extulerunt laudibus omnes Italiae atque exteri Chirurgiae professores; id in primis eidem gratulantes, quod in experimentis capiendis ferendisque judiciis, unius rationis et naturae viam insisteret, non ingenii sui commenta, aliorumve praecjudicia sectaretur: nec se mirabilem rerum novarum inventorem, sed accuratum naturae et veritatis discipulum profiteretur. Quo etiam factum est, ut inter illum et principes ejusdem artis magi-

stros nulla unquam intercesserit aut invidia aut obtructatio, immo eum diligenter et plurimi facerent universi.

Humaniores literas habuit carissimas, deque iis acerrimo quodam sensu rectissime judicabat; linguam vero latinam ita amavit, ut nihil supra: scribebat autem ipse latine puriter in primis atque eleganter. Quod illi perbelle et commode accidit cum Morgagnio, cuius in Adversariis aliisque scriptis versabatur summa cum voluptate: namque eadem, cum artis suae magistro, tum latinitatis exemplo non vulgari utebatur.

Ejus de animo paucis multa complectar. Paterfamilias fuit diligentissimus. Cum Angela Bellavita, quam adolescens uxorem duxit, vixit conjunctissime annos xxxvi. Filios bene aluit atque eduxit, optimisque magistris tradidit; Aloysium in primis, quem artis suae habuit sectatorem ac discipulum primo; deinde in Laurentii Nannonii Florentini disciplinam tradidit. quod ipsi optime evenit ita, ut illius opera, post mortem, non virtutem suam desiderari passus sit. In victu et re familiari et supellectili elegans fuit, non sumptuosus aut magnificus: bene habitavit, non splendide, iisque rebus omnibus quas domesticus cultus

desiderat, semper optimis usus est: quod omnia non levitate vel arrogantia, sed usu et ratione metiretur. Specimen vero continentiae illius et humanitatis fuit; quod cum haud copiosam rem familiarem a patre accepisset, id effecit vel parsimonia vel diligentia vel artis et scientiae suae fructibus, ut bene amplum liberis patrimonium reliquerit. neque vero ceteris consanguineis, quibus opus esset, re aut opera unquam defuit. In amicitiis aut ineundis aut conservandis fuit maxime diligens, amicisque suis omnia officia praestitit, quae ab homine fidelissimo et observantisimo proficiisci necesse sit: neque fuit quisquam, qui ejus ab familiaritate ulla unquam re discesserit, vel in eadem refixerit. Cum mentis acie valeret quam maxime, idemque urbana esset festivitate, et salibus facetiisque sermonem adspergeret, erat omnibus probatissimus et carus, in amicorum praesertim conviviis, quibus rogatus libenter intererat. Cum vero spectata esset prudentia, taciturnitate ac fide, illum rerum etiam gravissimarum (in quibus saepe familiarum dignitas, hominumque existimatio periclitaretur) consultorem auctoremque in deliberationibus capiendis sibi plurimi percupiebant: ea autem erat auctoritate, ut unusquisque ei se tuto committeret.

Religionis ANTONII luculentissimum afferam testimonium; quod novissimis aetatis nostrae tempestatibus; in quibus tot hominum alioqui praeclarissimorum miserrimum periculum factum est; ille , cum in mediis hisce fluctibus, pro artis suae instituto, assidue versaretur, ita se expedivit, ut semper bene audierit, atque ipsa caruerit suspicione: religionis namque officiis semper nitide perfunctus est: ut certo appareat, neminem de re tam sancta sollicitare talem virum ausum fuisse, omnesque ejusdem pietatem et propositum esse veritos.

Cum identidem *hemiplegiae* suspicione tentaretur, mense Septembri anno MDCCXIX febri ac stupore correptus est; ex quibus se tamen collegit cum bona spe secuturae valetudinis. At v. idus Octobris febri *carotica* iterum implicitus, tandem xv Kal. Novembris, christiana ope et spe confirmatus, supremum diem obiit.

Antonius Cesarus hoc de Amici sui vita commen-tariolum ab se conscriptum Aloysio ANTONII filio Man-zonio mittit. amoris pignus et sui mnemosynon  
vii Kal. Oct. Ann. M. DCCC. XXIII.







7



